

§. 6. Tertia sententia Pythagoræ vulgò adscribi consuevit. Quum enim hic à Præceptore suo Pherecide audivisset, animam esse immortalem sive sempiternam, nec tamen percipisset, quem in locum post abitum à corpore migraret, introduxit animarum *μετάβασις* vel migrationem ex unò corpore in aliud, quam Græci *μετεμψύχωσις* appellant. Hinc Naiso 15. Metam. canit:

Morte carent animæ: semperque priori relictâ

Sede, novis domibus vivunt, habitantque receptæ.

§. 7. A Pythagorâ, ceu tradunt *Dd. Conimbr. in lib. 2. de Gen. & corrupt. c. 11. q. 1. art. 1.* tam fœdus & tam absurdus de transanimatione error profluxit ad Platonem ejusque discipulos, item ad Brachmanes, Zoroastrem, Trismegistum, Apollonium & Tyanæum. Imò quod mirandum, Pharisei apud Judæos magnæ auctoritatis Viri & Manichæi huic erroneæ opinioni assentiri eamque argumentis stabilire non erubescabant. Hinc R. Bechai, ceu *B. Slevogtius, Philosophus olim in hac Academia acutissimus in disp. theor. 12. de Metempsychosi Judæorum §. 22. docet*, eam tribus argumentis niti contendebat, np. Deut. 33. v. 6. Esai 22. v. 14. ac Psalm 103. v. 3. 4. 5. quid ad hæc Scripturarum loca respondendum sit, videre licet apud prælaudatum Slevogtium cit. l. Aiebant prætereà Assertores hujus sententiæ, hanc *μετεμψύχωσις* in omnibus contingere pro ratione antea actæ vitæ, & eos, qui cantui dediti fuissent, sortiri corpora lusciniarum, olorum aliarumque cantatricium avium, qui fœdis voluptatibus, in porcos; qui latrociniis, in lupos; qui audaciæ, in Leones; qui iracundiæ in serpentes; qui fraudibus in vulpes degenerare; Hinc Homerum in pavonem, Orpheum in Cygnum abiisse; animam Thamyræ Philomelam affectasse; Ajacis Leonem, Agamemnonis Aquilam, Therfitis Simiam. Porrò hinc sacri silentii supparò involvendum non est, quod Aa. hujus opinionis inter sese disconvenerint; Nam *alii* hanc animarum transmigrationem intelligebant de animabus tam hominum quàm brutorum: *alii* de animabus tantum ratione præditis in genere; alii solum de animabus impiorum & facinorosorum hominum, animas enim magnorum Virorum ponebant in stellis. *Ulterius discre-*